

V C  
1693



XX, XI

I

2

P

N

J

RK. 1



X, XI.

Q. XVII, II

I, 205



# FRIDERICUM SAPIENTEM SAX. ELECT.

contra recentes

Pallavicini, Maimburgii, Varillasii, alio-  
rumque calumnias defendent,

&

SACRA NON EX PROFANIS  
RATIONIBUS MUTATA

ostendent

P R A E S E S

M. VAL. ERNEST. LOESCHERUS

Ord. Philos. Adjunct.

& RESPONDENS

JEREMIAS MULLERUS,  
Dresdensis.

*Ad D. XXX. Jan. A. cl. lxxc XCVII.*

---

WITTEBERGAE,

Literis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

RK. 17.



VIRIS  
MAGNIFICIS, PRAENOBILISSIMIS, CON-  
SULTISSIMIS, AC PRUDENTISSIMIS,  
REIPUBLICAE DRESDENSIS  
CONSULIBUS,  
SYNDICO,  
&  
SENATORIBUS  
AMPLISSIMIS,

DOMINIS ac PATRONIS SUIS  
*studiorumq; suorum Promotoribus,*



Has Academici laboris  
Primitias

Sacras propriasqve facit

*Cliens observantissimus,*

Jeremias Mullerus,  
Dresdenſis.



B. C. D.

I.

**P**ostquam Ludovici XIV. crudelibus violentisque consiliis Gallia omnis Romano Præsuli iterum subiecta est, & qui diversa sacra profitebantur, Romanisque superstitionibus fortiter se opponerent, vel adacti, ut violarent divini obsequii leges, vel provincia excedere coacti sunt; non defuere ex Gallis, quos adulationi mirifice addictos, ipso quodam gentis vitio, nonnulli ferunt, qui istud Principis factum laudibus ad cælum efferre, omnemque violati juris & æquitatis speciem protinus amoliri, ac cum maximis quibusque Heroibus, vel hoc argumento, Regem contendere conarentur. Enimvero, cum in hoc Ludovico, quem *Magnum* illi, atque *a Deo datum*, peculiari cognomine appellant, quemque cum *Crucio* Imp. AVG. longe etiam LEOPOLDO M. majorem, & Numen Francicum cum *Meneirevio* censent dicendum, prolixam spem profuerint, Dominum universi orbis, ac quintæ Monarchiæ conditorem, *Celotio* & *Auberio* auguribus, eum esse futurum, non potuerunt non modis omnibus emollire rem Christianissimo Rege haudquaquam dignam, ac exquisita industria excusare. Ea fuit origo tot mendaciorum, quibus Protestantium existimationi hæctenus structæ sunt insidiæ, ut digni isto supplicio haberentur, atque hinc librorum illa nubes exorta est, quæ tribus jam lustris, ut agmen aliquod locustarum e Gallis prodiit, *Gallia Catholica*, *Arnaldi*, *Bossueti*, *Maimburgii*, *Fernandi*, *Bruesii*, *Varillasi*, *Pelissonii*, aliorumque complurium Apologetica scripta, quorum numero, si argumentorum vim eluctaretur, adversa pars suppressi possit. In illis animadvertas, omnia in-

A 2

viden-

videndis Ludovici laudibus plena, ab aliis Cyrum vocari, qui Ecclesiam, ut ille Hierosolymam, restituerit, ab aliis Constantinum: laudare alios ejus pietatem, quam clarissimis documentis probaverit, alios prudentiam, quam sublato Nannetensi Diplomate cumulate ostenderit. Nihil vero potius mireris, quam epistolas libris istis præpositas, quas Dedicaciones vocant: adeo enim scatent Gnathonicæ elegantia formulis, ut ab isto literarum genere, maxime post *P. Petiti* censuram, frugi homines nunc propemodum abhorreant.

II. Cum in perlustrandis his libris nuper totus essem, multa in illis deprehendi, quæ nostris etiam sacris, & divini cultui per Lutherum restituto perquam adversa essent, Principumque ac Theologorum nostrorum existimationi admodum inimica, qui calumniis passim proscinduntur. Assentior jam ultro *P. Jurieo in Respons. ad Bossueti Expos. p. 3. 4.* dicenti, nullum esse fraudis machinarumque genus, quod Romana factio non usurpaverit, ut purioribus sacris addictos rursus sibi conciliaret, nec ullam rem majori industria viribusque gestam esse. Ita tamen sentio, ζῆλον hunc αἰσυντακτον, ac tot fraudulenta ejus subsidia, malæ causæ indicium non minus dare, quam in Phariseorum secta, quæ cælum terramque commovebat, ut Profelytum unum faceret. *Matth. XXIII, comm. 15.* Equidem initio amplissimis pollicitationibus & Principes & Lutherum ab instituto emendandi revocare conabantur: spe sua frustrati, ad violenta consilia digrediebantur, ac igne ferroque rem experiri tentabant: verum quia secus eveniebat, ad sacras artes se conferebant, librisque Polemicis, colloquiis & disputationibus nostros laceſſebant, ac Tridentina Synodo se rem confecturos, opinabantur. Repetitus hic lusus est hoc etiam seculo, sed omnibus istis consiliis in cassum euntibus, aliam sibi viam quærendam esse, existimarunt. Igitur relictis controversiis, quas contra nostrorum robur & argumenta sustineri amplius posse, desperabant, aut prudenti consilio sepositis, aliquot jam annis *pacem protendant, bellum anime gerentes*: Concordiæ ineundæ rationes à *Richelio, Episcopis Chryſopolitano, Neostadiensi & Thiniensi, Wallendorſio, Masenio, Bossueto, Job. Dec, J. F. Hacke, & Episcopis Gallis* prola-

prolatæ sunt, qui XVII. diversas Methodos pacis cum Protestan-  
tibus conficiendæ publice exposuerunt.

III. Non defuere, dum hæc geruntur, *Eristici* scriptores,  
maxime ex Gallis, quos Regis in nostros minus propensa vo-  
luntas excitaverat; sed illi relictis legitimis disputationum ca-  
pitibus, ex obliquo nos aggressi sunt, argumentisq; ex Jctorum,  
Historicorum & Politicorum foro petitis, quam S. literarum au-  
ctoritate, aleam experiri maluerunt. Quinque autem prope-  
modum in *Arnaldi, Bossueti, Nicolii, Maimburgii, Ferrandi, Fennii,*  
*Bruesii, Varillasii, Pelissonii,* libris disputandi rationes invenio.  
Primam ingressus est Atlas ille Romanæ factionis, Ant. AR-  
NALDUS, qui nuper octogenario major obiit. Edidit ille,  
ante duodecim annos *Præjudicia contra Calvinianos*, ita tamen  
comparata, ut pleraque etiam nos respiciant. In his ex Jure  
Civili refert, Romanam Ecclesiam jam ab aliquot seculis posses-  
sionem veritatis obtinuisse, eoque præjudicio ita firmari in suo,  
quod vocant, jure, ut qui contra eam aliquid moliantur inno-  
vandi delictum committant: cui quidem argumento *J. Claudius*  
& *Cl. Pajonius* nervos omnes inciderunt. Instat Arnaldi vesti-  
giis NICOLIUS, Theologus Sorbonensis, qui schismatis reos  
Protestantes, qui ab antiquis sacris recesserint, omnibus ferme  
paginis affirmat. J. B. BOSSUETUS, Episcopus Meldensis, The-  
ologorum Gallorum facile princeps secundæ Methodi auctor  
est, quæ ex sacra Historia derivatur, & Protestantes vel centies  
mutasse sententiam, neque solum inter se discrepare graviter,  
verum etiam pro re nata sacris ut cothurno uti, manifesto ini-  
quæ causæ indicio, contendit: Quæ *J. Basnagius* & *G. Burnetus*  
huic Gallo opposuerunt, præclara & tantis hominibus digna  
sunt: utinam vero etiam nostros aliquis ab hac calumnia libe-  
raret, ut illi Calvinum ejusque socios liberare conati sunt.

IV. Lud. FERRANDO Jcto Paris tertiam methodum adscri-  
benda est, qui Romanæ Ecclesiæ ritus cum veterum Christia-  
norum sacris exactissime convenire, eamque vel successionis nõ  
interruptæ jure pro vera habendam esse, affirmat. Quartam  
tribuunt Rich. SIMONIO, celebri Philologo, qui ex Hebræo-  
rum veterum consuetudinibus, quas simillimas Romanis dicit,  
præ.

præsidium causæ petit, Græcos etiam, Aethiopes atque Armenios, omnesque Asiam atque Africam incolentes Christianos cum Romanis opinionibus ac ritibus pulchre convenire, contendit. Ejus tamen rationibus *Tb. Smitium* & *P. Rycarum* satisfacisse existimo. Quintam denique methodum omnium tritissimam MAIMBURGIUS & VARILLASIUS potissimum coluere, qui profanis rationibus & proprii commodi causa majores nostros à Romano Præsule secessisse, & sacra immutasse, nugantur, calumniarumque in nostros modum non faciunt. Hos ego mihi ex universo agmine seligendos putavi, quos modeste impugnarem, homines in divorum Principum, cum primis immortalis famæ Septemviri, Friderici Sapientis memoriam perquam injurios. Quod cum puriorum non minus sacrorum & veritatis amor, quam pietas erga majores, præsertim principem, nostræ Academiæ conditorem, conari me jubeat, divinum pariter ab æterno veritatis Auctore auxilium, quod sanctissima animi religione exopto, & honorum omnium favorem non temere mihi polliceor.

V. Liberandus ab atroci calumnia est felicitis memoriæ Princeps, Fridericus Sapiens, S.R.I. Septemvir Saxo, eo nomine tertius, cujus cum tanta olim dignitas fuerit, ut Imperii dexteram & sapientem proprio vocabulo fide digni auctores eum vocaverint, non ferendum profecto est, ut venali istorum hominum stylo post fata perstringatur. Ejus gesta hic interpretari supervacaneum duco, cum eo nos labore *Melanchthon Omt. funebri*, *Johannes Rosinus*, & *Fabricius Lib. I. Rer. Misn. p. 23.* leverint. Mitto *Chytraum*, *Spangenbergium*, *Birkium* aliosque, qui Saxonum facta scripto exposuere. Ipsæ equidem calumniæ, quibus optimi principis famam perditii homines aggrediuntur, ad unum præcipue caput reduci possunt, eum videlicet, & sacra mutasse, & Lutherum defendisse, ac contra Romanum Præsulem subornasse, ne diu quæsitam occasionem Romanæ factionis hominibus ægre faciendi prætermitteret, firmaretque auctoritatem suam, ac potestatis suæ limites ampliores redderet. Quo quidem probro jam olim Principem nostrum infectatus est Henricus Brunsvicensis scripto publico A 1540. contra Saxo-

nem



nem edito, quod Hortlederus *Tom. I. Lib. IV. c. XVI.* profert, strictim vero cum Lutheri responsione Sleidanus *Lib. XIII. p. 375. Lib. XII. p. 340. seq.* recenset. Responsum enim Brunsvicensi Principi est, non solum a Septemviro apud Hortlederum *Tom. I. Lib. IV. c. IX.* verum etiam a Luthero *Tom. VII. Altenburg. p. 443.* Affirmare tamen certis rationibus possum, scriptores Italos & Gallos ex veteri isto scripto sua non hausisse, quippe quod si cognitum habuissent, Maimburgius præcipue & Varillasius pro sua consuetudine magna cum commendatione adduxissent.

VI. Facio igitur hujus calumniæ, quam novam eo nomine appello, auctores Sfortiam *Pallavicinum*, Ludov. *Maimburgium*, & Anton. *Varillasium*, quos alii cæco impetu secuti sunt. *PALLAVICINUS*, qui ex Lojolitarum schola prodiit, scriptorum multitudine Cardinalium, quos vocant, purpuram obtinuit, famamque edita *Historia Concil. Tridentini*, quam Italico idiomate scriptam *Jo. Bapt. Giattinus* Latinam fecit, apud suos sibi comparavit. Eo opere veritatis & prudentiæ laudem studiose affectavit, neutram vero obtinuit. Nam & artes quasvis Romanorum Præsulū fraudesque, etiam præter opinionem suam, interdum exposuit, debilemque adeo suorum causam facit, dum indulgentias privati lucri causa à Leone X. institutas *p. 4. 5.* & his consimilia plura fatetur, & inepte nonnunquam ac *ἁερολόγως* disserit, ut Julius Clemens *in Not. Moral. ad Pallav. p. 20. 40. 41. 49. 76. 77.* Cæs. Aquilinus; *Lib. de Tribus Hist. Conc. Trid. Script. Auctor novi Evangelii Card. Pallavic. & J. H. Heideggerus in Anat. Conc. Trid. p. 1265.* judicant: Veritatis vero laudem profus non est assecutus, erroribus Historicis ac Geographicis scatens, quorum aliquos *ILL. Seckendorffius* passim notavit. Equidem Julius Clemens Romanæ factioni addictus calumniarum auctorem *l. c. p. 47.* hominemque in principes injurium *p. 20. 30. 37. 45.* eum appellat, nec fidem illi habendam esse *p. 39.* affirmat. Bellum vero testem, qui principis nostri existimationem calumniis vocare in dubium ausus fuerit!

VII. Ludov. MAIMBURGIUS, Lojolita iisdem artibus ad purpuram adspirasse creditur, sed vano conatu: Sane cum  
libe-

liberius quædam in Pontificem pro Rege Gallorum scripsisset, jussu illius ordine motus, ab hoc vero Abbas & Historicus Regius constitutus, A. 1686. obiit. Qui quidem homo plerisque scriptis, *Historia Ariana, Historia Iconoclastarum, Historia Schismatis Orient. & Occident.* aliisque nihil aliud egisse videtur, quam ut Protestantes omnibus modis lacefferet, dataque vel levissima occasione contumeliose tractaret. Data vero, quod dicitur, opera illud præstitit in *Historia Lutheranismi A. 1680.* edita, in qua nullam ab illo Historici muneris partem observatam, proluxa refutatione ILL. Seckendorfius ostendit, atque a Pallavicino plerumque illum turpi plagio surripuisse comprobavit, cujus etiam criminis *El. Veielius* magnus Svevorum Theologus illum accusavit. Recte vero Heideggerus hominem ex mendaciis confutum Maimburgium vocat *Tom. II. Myster. Babyl. p. 273.* Ampullæ enim nugæque sunt, quod de se scribit in *Histor. Schism. Occid. p. 142.* se nihil affirmare, quod non antiquissimis monumentis probare possit, cum dudum eruditi sciant, illum, & veterum monumenta corrupisse, & falsa pro veris venditasse. Miris equidem modis *l. o. p. 6.* in Odoricum Raynaldum invehitur, qui Carolum V. Galliarum Regem ex Politicis rationibus Schisma Avenionense fovisse, dixerat, eumque miserrimum, scriptorem, mendacemque ac in Principes bene meritos injurium *p. 85. 118. 119.* appellat: sed cum pari ratione Fridericum nostrum tractet, sciat, se suo judicio damnatum indignumque qui tanto Principi opponatur.

VIII. Antonius vero VARILLASIUS, qui Historici Regis Galliarum nomen usurpat, ut Maimburgium calumniandi libidine vincit, ita severiorem censuram meritus est, ceteroquin, Maimburgii ipsa scribendi ratione æmulus. Nam & plerosque libros, videlicet *Historiam Francisci I. Franc. II.* aliosque ita comparavit, ut Protestantes passim carpat, & *Historia*, quam vocat, *Revolutionum Europæ ex mutata Religione ortarum*, ante aliquot annos edita, animum in nos iniquum luculento testimonio comprobavit. Qui quidem eo profert audaciæ limites, ut nullam non sacrorum mutationem ex profanis rationibus factam, contendant. Gallicam sane, quam vocant, *Reformationem* in solidum, priva-

privatis causis tribuit, *Lib. XXI. XXII. XXIII. XXVI.* Belgicam, *Lib. XXVII.* Scoticam, *Libro eodem,* Svecicam, *Lib. XXX.* Germanicam vero per universum opus. Quantum mihi ex perlectis ejus scriptis constat, singularem de machinationibus Principum privatis judicandi, & arcanas rerum causas evolvendi vim atq; facultatem sibi tribuit, fraudesq; & artes politicas ubivis, non aliter, ac nodum in scirpo, quarit, atq; ex ingenio Gallorum, de Germanis aliisque gentibus perinque judicat. Etsi vero magnam calumniarum nubem in Lutherum & Evangelicos spargat, tantum tamen abest, ut illis noceat, ut potius, qui *Tom. I.* istius operis cum judicio perlegerit, meliorem Lutheri, quam adversæ partis causam fuisse, statim cognoscat. Erroribus vero tam refertum est istud opus, ut Augiæ stabulum dici possit: Osiandrum Zvinglii sectatorem vocat *Tom. I. p. 128.* Lutheranorum principes Agricolam & Butingerum fuisse, dicit p. 200. Joh. Fridericum, Johannis Electoris fratrem, putida ignorantia appellat. p. 205. Atq; ejusmodi errores crebro apud Varilasiū occurrunt, quorum tres, qui pervolventi ultro occurrebant, speciminis loco recensere volui. Plures enim ejus populares annotarunt, ex quibus illum Hozierius in magno doctorum confessu aliquot errorum convicit. Apposite igitur a Pufendorfio ejus liber *chilias mendaciorum* appellatur.

IX. De Odorico RAYNALDO, Presbytero Orat. qui Annalium Baronianorum Supplementum edidit, eadem mihi stat sententia, quem ejusdem professionis homo, L. Maimburgius calumniarum in principes innocentes & mendaciorum accusavit. Atq; hos habemus testes, quos Friderico Septemviro opponunt, homines, & sacris nostris, & Germaniæ, Principibusq; Germanorum perquam infensos, styli in super mercenarii, & errorum publice convictos, nec ullo idoneo argumento nitentes. Nam ad frigiditas eorum rationes e vestigio respondebo, eorumq; verba ex Gallico idiomate in Latinum translata strictim confutabo. Etsi enim a veteribus calumniarum in nos Architectis, *Cochleao, Querbammero, Surio, Staphylo, Ulenbergio, Conzenio, Nassio, Ramundo, Spondano, Vettero, Scherero, & Dillins-*

B

gens-

genfibus, toties refutatis multa mutuo acceperint, nova tamen quædam & fucum imperitis facientia proferunt.

X. Ac, ut inde exordium capiamus, primum Friderico nostro incredibilem ambitionem augendæque dignitatis suæ & potestatis studium adversarii tribuunt, atque ideo subornasse Lutherum, dicunt, ut motarum ab illo turbarum occasione, novi aliquid & magni audere posset. Aperte hanc calumniam explicat Varillafius, qui *T. I. p. 230.* inquit, *nunquam in universo Septentrione natum tam vafrum hominem, atque tam audacem, qui commodum suum ubivis quaesiverit, omnibusque rebus pratulerit.* Consentientem habet Pallavicinum *Lib. I. Histor. Conc. Trid. c. XXII.* qui *Fridericum Lutheranam heresin sibi quasi filiam adoptasse,* ait. Varillafio tamen contradicit, *cap. XIII. n. 6. & Septemvirum animi haud pravi fuisse,* dicit. Quantum vero hæc calumnia a veritate absit, vel unico argumento clare evictum dabo. Constat inter omnes, Friderico Imperatoris Augusti dignitatem ab omnibus Septemviris oblatam, cujus rei testes contra Gallos quosdam fidem denegantes habemus *Sleidanum Lib. I. p. 25. G. Fabricium Lib. I. Rer. Misn. c. 23. Albinum Chron. Misn. p. 233. Funccium Comm. in Chronol. p. 242. Seckendorffum Lib. I. Lutheran. Sect. XXXIII. §. 80.* & ex adversa parte Pallavicinum *Hist. Conc. Trid. Lib. I. cap. XXII. p. 29.* qui *eum concorditer electum,* Maimburgium *Lib. I. Sect. 33.* qui *principes uno impetu in eum consensisse,* ait, Raynaldum, qui ex Cajetani ad Pontificem literis illud observat *ad ann. 1519. n. 23.* & Varillafium *Tom. I. Lib. IV. p. 286.* qui, nescio quibus auctoribus, addit, *Pontificem ad conventum Electorum misisse Robertum Ursinum, ut Electorem Saxonum Imperatorem facerent:* Sibi vero ipsi repugnat hic homo, quando in *Histor. Florent. Lib. VI. p. 288. sq.* Pontificem eo allaborasse ait, ut Septemviro Brandenburgensi Augusta dignitas tribueretur. Quis autem ignorat, Fridericum, neglectis etiam Britannorum Helvetiorumque pollicitationibus, qui tueri eum in ista dignitate constituerant, juri suo renuntiasse, & in Carolum V. (quem quidem repugnantem habuisset, si augere nimis Saxoniam familiam voluisset,) suum atque etiam aliorum suffragia ultro contulisse, quam repudiationem *portento*  
fimi-

similem fuisse, Pallavicinus p. 29. fatetur. Unde merito concludimus Joh. Friderici Septemviri apud Hortlederum verbis: *Si domus Saxonica tantum interfuisset, ad summum illum honorem eniti, satis notum est Dei gratia, quomodo Fridericus Elector, patruus noster illum in manu sua habuerit, sed recusaverit.*

XI. Disjecta priori calumnia, facile corruunt tres sequentes, quæ ex illa pendent. Ita enim homines nostri rationes suas subducunt: Friderico in augenda Saxonum dignitate occupato tria obstitisse, dicunt, Pontificem Romanum, Austriacos Principes & Albertum Septemvirum Moguntinum, præfulem auctoritate in Germania & amore gentis maximum, quævis se igitur Fridericum omnes omnino occasiones, quibus ægre illis facere posset. Nam, ut ab ultimo ordiamur, unde illi occasionem mutatorum sacrorum arcessunt, fabulantur, Septemvirum nostrum Alberto perquam inimicum fuisse, atque huic Vatiniano, quod vocant, odio has causas obtendunt: Primo tradunt, æmulationem intercessisse inter familias Saxoniam & Brandenburgicam, quam ita exaggerat *Varillasius Tom. I. Lib. III. p. 232.* ut præcipue Friderici atque Alberti dissensionem apparuisse *in omnibus rebus, ne minima quidem excepta*, confidenter pronunciet. Fridericum igitur spe jam dudum Diœcesin Magdeburgensem, quæ Archiepiscopo post Ernesti Saxonis obitum destituebatur, devorasse, emendicatisque Canonorum sententiis certo sibi esse pollicitum, idem auctor *Tom. I. p. 231.* affirmat. Pallavicinius aliam rationem commentus est, qui *Lib. I. c. XIII. n. 6.* Fridericum ob quandam de oppido Erfordie controversiam in Moguntinum occultam indignationem habuisse, scribit: Alii veteres de Burggraviatu Magdeburgensi & Salinis Saxonice controversias citant.

XII. Quam vero inepte frigideque, ac prorsus contra omnes Historiæ rationes hæc dicantur, idoneis argumentis illico evincam. Quam illi æmulationem inter Saxones ac Brandenburgicos crepant, ea in ingenio Gallico, aptiori ad has artes, quam Germanorum ea ætate animi erant, nata educataque est, nec ullius probati scriptoris auctoritate firmari potest: Neque vero

adversus solum Albertum æmulatio hæc atqve odium locum  
habere potuit, quem Fridericus ipso sacrorum mutatorum tem-  
pore amore complexus est, teste Luthero *Tom. VII. Opp. p. 461.*  
ut in Conventu Servestano A. 1519. quilibet observare potuit :  
Albertus ipse suo etiam suffragio Fridericum Augustum initio  
designavit, ac *ante electionem cum illo separatim consilia communi-*  
*cavit. Sleidan. Lib. I. p. 20.* quod in tanto odio, quale Varillasius  
fingit, nunquam profecto fecisset. Nihil vero magis a veritate  
alienum dici potest, quam Saxonem Magdeburgensem Diœ-  
cesin sibi suisqve vindicare voluisse : Nam vel violento conatu  
ejus possessionem sibi adscribere, & ad profanas rationes redu-  
cere eam debuisset, quod ex illius seculi genio fuisset ἐκ τῶν  
πολιτικῶς ἀδυνάτων : aut eo intendere vires necessum habuisset,  
ut ex Saxonica familia aliquis Archiepiscopus eligeretur. Erat  
autem illa jamdum in duas series divisa, & ex Ernestina quidem  
eo tempore, quo præfulatus vacabat, videlicet A. 1513. solus E-  
lector cum Fratre Johanne ejusqve filio Johanne Friderico su-  
pererat, nam alter Johannis filius, Johannes III. eo anno natus  
est : Horum vero nullus ei negotio aptus erat, Septemvir ob  
munus, Johannes ob conjugium, Joh. Fridericus ob spem Se-  
ptemviratus, quæ in eo hærebat : Ex Albertina serie duo fra-  
tres, Georgius & Henricus vivebant, quorum uterqve ob con-  
jugium non capax : nam & Henricus superiori anno conju-  
gem duxerat : & huic quidem liberi nondum erant : Georgius  
duos quidem habebat filios, undecennem unum, in quo spes  
familiæ consistebat, alterum novennem, sed mente captum :  
nec persuaderi mihi patior, Fridericum Georgio ejusqve gna-  
tis, cum quo illi antiqva similtas intercedebat, tantum detu-  
lisse, ut eorum causa tot turbas excitaret : Apparet igitur, recte  
dixisse Lutherum, eos insigniter mentiri, qui dicant Frideri-  
cum, aut invidisse Alberto hanc dignitatem, aut in Saxonum  
aliquem transferre voluisse, cujus tunc nemo ex illis capax fu-  
isset. *Tom. VII. Altenb. p. 461.* qui & Fridericum strenue labora-  
se, ut legitimis Canonorum suffragiis Albertus eligeretur,  
eodem loco testatur.

XIII. Ea, quam Pallavicinus memorat, de Erfurto civitate, controversia, nullis auctorum, aut monumentorum publicorum testimoniis nititur, nec à Gudeno, aliisque rerum Erfurtensium scriptoribus memoratur. Non equidem ignoro, habuisse Fridericum nostrum aliquid cum Erfurtensibus controversiæ, nec defuisse homines, qui omnibus illum modis hortati fuerint, ut viatque armis urbem oppugnaret, ejusque expugnationem vix quinque militum vita redimendam, dicerent: quibus tamen, Luthero teste, optimus Princeps respondit, sibi quinque hominum vitam nimis preciosam esse: quid autem hæc ad Albertum & Moguntinos faciant, qui eo tempore nihil controversiæ Erfurtensibus movebant, nondum animo perspicio. Denique nec a Burggraviatu Magdeburgico inter Fridericum atque Albertum altercatio oriri potuit: Eum quidem Hermannus Billingio tribuit Otho I. AVG. auctore *Lebmanno Chron. Spir. Lib. V. c. 5.* ad Ascanios vero Septemviro transtulit Rudolphus I. a quibus una cum Septemviratu ad Fridericum Bellicosum, Misnensem, principum nostrorum progenitorem transiit, sed ære alieno oneratus, quod Albertus Ascaniorum ultimus conflaverat, Burggraviatu ipso Magdeburgensibus, dato ære, jure hypothecæ concessit. Fridericus noster, solvere istud æs, & redimere a Magdeburgensibus animo constituerat, sed cum de numerorum genere lis fieret, res est per arbitros composita, factumque, ut civitas pignus retineret. Neque vero hæc de re aliquid cum Alberto Archiepiscopo, sed cum civitate actum est, quæ argentum mutuo dederat. Johanni Friderico quidem, multis postea annis, Albertus de juribus in Salinas & Magdeburgum controversiam movit, ut *Chytraeus Chron. Sax. pag. 435.* refert, multumque ac diu cum illo disceptavit, A. 1538. sed quid hæc ad Fridericum ejus avunculum faciant, quilibet harioletur.

XIV. Risu vero dignus est Varillasius, qui *Tom. I. Lib. III. pag. 230.* nugatur, *Magdeburgum urbem totius Germaniæ maximam & potentissimam fuisse, quæ sola plus valuerit, quam omnes Friderici regiones, ideoque illius possidenda cupidine Saxonem flagrasse,*

*maxime, cum in medio Electoratus sita esset.* Pudeat insulos hos homines Germaniæ rebus se immiscere, cujus ne quidem proletariam ex Geographia cognitionem habent. Mirum dictu est, quam graves ac pueris etiam indignos errores Galili, etiam illi, qui Geographiam data opera explicarunt, sæpissime committant: Vir maximi nominis *J. B. Bossuetus* turpiter, interdum labitur, qui in *Historia Variat. Protest. Tom. I. Lib. VIII. p. 376.* Wurtembergam princeps regionis Wurtembergicæ oppidum vocat. *Tom. II. Lib. XI. p. 136. §. 27.* Goslariam in Svevia sitam, & *Lib. XII. §. 27. p. 268.* Herbornam in Belgio fœderato, affirmat: Hos enim errores subita lectione observavi. Omitto *Altorfium*, nova metamorphosi ex oppido in virum a Bongarsii interprete mutatum. Varillasius noster Misniam celebrem Saxonum Academiam appellat *Tom. V. Histor. Revol. p. 284.* Ut centum alios ejus errores ab *ILL. Seckendorffio, Pufendorffio & Aetorum Lipsiensium* auctoribus notatos omittam. Quid dicam de *Malletio*, qui in *Cosmographia pag. 108.* Gorlicium celebrem Saxonum Academiam eadem elegantia vocat, & de *Heissio*, qui *Lib. VI. Histor. Imper. Rom c X.* ex præcipuis Septemviri Saxonis urbibus *Pitskam* esse dicit, in Bohemia sitam. Qui quidem homines *Erasmi Roterodami* exemplo, *Constantinopolim* in Macedonia ponentis, & *Gvil. Budæi* lapsu, qui *Utopiam Americæ* regionem esse censuit, solari se possent, si ab eruditissimis viris ad ignorantia alumnos argumentari concessum esset.

XV. Vides, quam male cohæreant Gallorum adversus *Fridericum* calumniæ, quibus istud etiam opponere possumus, *Albertum*, ipso præsertim controversiarum initio, benevolentiam suam *Luthero* multis exemplis testatum esse, benigniusque ipsū, quam *Fridericus* ipse fecit, habuisse, quod *Lutherus Tom. VII. Alt. p. 461.* non it inficias. Ne utiquam igitur creditu dignum videtur, Principem nostrum, ut *Alberto* ægre faceret, *Lutherum* fovisse ejusque conatus juvisse, ac promovisse. Nec illorum suspicio probanda est, qui *Fridericum* propterea *Moguntino* infensum fuisse autumant, quod duas, easque primarias Germaniæ



niae dioceses simul teneret, postquam eam in acqvirenda utra-  
que dignitate juvit, nec impedimento fuit, quo minus, cum  
Magdeburgensem jam obtineret, etiam Moguntina potiretur.  
Non enim adstipulari possum summorum meritorum viro, V. L.  
Seckendorffio, qui *Lib. I. Hist. Luther. §. XII. p. 27.* affirmat, Alber-  
tum primo Moguntinum Praesulatum, & paulo post Magdebur-  
gensem adeptum esse, cui veterum monumenta & auctorum  
consensus objicitur. Testantur enim *Fabricius Rev. Saxon. Lib.*  
*II. p. 312. 313. Bruscbius* aliiqve, Albertum A. 1513. Archiepiscopum  
Magdeburgensem, & A. 1514. demum Moguntinum factum. Pas-  
sus igitur aliquid humani est celeberrimus vir, cujus de caetero  
merita suspicimus ac veneramur.

XVI. Nunc alio se convertunt homines nostri, & singulare  
odium adversus Praesulem Romanum aliosqve antistites eo  
perduxisse Fridericum ajunt, ut sacra ex Lutheri praescripto mu-  
taret: ita enim Pallavicinus, Maimburgius & Varillasius passim  
ratiocinantur. Ut vero colorem aliquem obtendant huic crimi-  
nationi, nescio quae arcana musitant, & offensam domesticam  
Fridericum in notho Romae accepisse, fabulantur. Maimburgius  
fané *Lib. I. Sect. XXIV.* ait, *Fridericum elatum vicarii dignitate adso-*  
*ferocire cepisse, ut Militio, Pontificis nuntio vix accessum daret, &*  
*cum aliquo contemptu donum Pontificis acciperet, offensum ab aula Ro-*  
*mana, quae beneficium quoddam filio ejus naturali gratis noluerat con-*  
*ferre.* Sed tuam fidem Maimburgi, putasne stipites futuros o-  
mnes, qui commenta tua perlecturi fuerint? Quis te docuit,  
Fridericum superbum unquam, aut ferocem, accepta post Ma-  
ximil. AVG. excessum vicaria Imperii dignitate factum, qui  
nunquam magis humanus ac mitis fuit? undenam vel fando  
percepisti, Militium, cum auream rosam, Praesulis Romani do-  
num Saxoni ferret, male habitum? De universa re testem ad-  
ducis Pallavicinum, age igitur cum eo experiamur aleam, &  
causam hanc disquiramus. Ita vero ille *Lib. I. c. 13. p. 59.* *Comperio*  
*in literis Hieronymi Aleandri, Fridericum ad Lutherum defendendum*  
*adductum peculiari indignatione in aulam Romanam. Quoniam, cum*  
*filius nobis & occultus Ducis Romae impetrasset, ut sacerdotii comman-*  
*dati*

dati fieret adjutor, in reditu in Germaniam Bononia factus est certior de morte commendatarii, qua cum incidisset, antequam ipse per diploma adjutoris titulo insigniretur, opus fuit, ut de integro solveret bonam pecuniam vim, ut sibi sacerdotium illud obtineret. Aleandri igitur testimonio universa res nititur, hominis Luthero infensissimi, & qui, teste Erasmo *Lib. XX. Ep. 52.* nihil non adversus eum faceret, vitæ insuper profigatæ, ut multi ejus ætatis auctores retulerunt. Equidem sunt, qui prodant, Fridericum duos habuisse nothos, Fridericum & Sebastianum a Jessen, quibus hanc causam defendendam relinquo: *vide Chytraeum Lib. XV. Rer. Sax. p. 415. Seckendorffium Lib. II. p. 33.* Nusquam tamen legimus, eos, si qui fuere, sacerdotio destinatos, cum ipsi, qui hoc tradidere, auctores, eos, cum Septemvir decederet, pueros fuisse, dicant: nec adeo cum Friderici sapientia convenisset, ob levem causam tantum Pontifici negotium faceffere.

XVII. Sequamur Varillasium, qui aliam viam ingreditur, hariolaturus pro sua consuetudine, cur indignationem Friderici Pontifex commeritus sit. Ait enim *Lib. III. p. 232.* Legatum Pontificis ejus jussu omnem lapidem movisse, ne quis Saxo Magdeburgensis Præsul fieret: *simuisse, scilicet, ne males Romanæ cederent, si principes summis familiis geniti pingua Ecclesiæ bona tenerent in iis Circulis, quibus primogeniti illius familia præfecti essent.* Sed bone Deus, quid unquam absurdius dictum abs homine Historico! Nam ut taceam, fundamentum hujus conjecturæ falsum esse, ut §. XII. ostendimus; quam illud ἀλογον est, Pontificem pati noluisse, ut ex familia, quæ principem in Circulo Germaniæ locum obtineret, aliquis bona Ecclesiastica possideret? Quis enim ignorat, Diœcesin Magdeburgensem non ad circulum Saxoniam superiorem, cujus præfectus Septemvir Saxo est, sed ad inferiorem pertinere, imo in eo principatum tunc obtinuisse, testibus Limnæo *Lib. I. Jur. publ. c. VIII.* & Schœnbornero *Lib. V. Polit. c. 6.* Dijudicent vero æquiores arbitri, fuissetne Pontifici magis commodum, si permisisset, ut qui Circuli Rhenani præfectus esset, etiam in Saxonico eam dignitatem obtineret, quod tamen Alberto, Moguntino & Magdeburgensi Antistiti

tistiti est concessum. Unicum adjiciam, Fridericum religiosum & sacris addictissimum principem fuisse, quod nec Pallavicinus *Lib. I. c. XIII. p. 18.* diffiteri potest; indignum igitur creditu est, ob leviculas has offensas, si quæ fuissent, eum tanti negotii rem suscepisse, & sacra profanis periniquè miscuisse.

XVIII. Ne aliquid prætermittant adversarii, etiam Friderici odium adversus Austriacam familiam & Augustos in medium vocant, quod Varillasius passim horum motuum causam appellat, & illud suum τὸν δ' ἀπαμειβόμενος repetit, obstitisse nimirum Austriacos, ne Saxo Magdeburgensi præfulatu potiretur: *Austrios enim dedisse operam, ait, ne Saxonica familia viribus & potestate cresceret. Lib. III. p. 321.* Quæ de æmulatione & odio inter Augustas has familias homo noster profert, omni superiorum seculorum historiæ contradicunt, utriusque conjunctissima studia, notantis, quod Melanchthon *Orat. funebri Friderico habita* cumulate declaravit. Juvabant Saxones Austriorum incrementa, Austrii vicissim Saxonum splendori non obstabant: Fridericus eqvidem AVG & Maximilianus, si eo erga Fridericum animo fuissent, nunquam illi Locum tenentis in universa Germania dignitatem tribuissent, quam tamen ultro, ut apud *Cbytraum, Albinum, & Hortlederum* legimus, illi tribuerunt, a Carolo V. etiam confirmatam. Præclare vero ostendit Fridericus, quam bene cuperet Austriacis, cum omnem moveret lapidem, ut Carolus Hispaniarum ex Austriaca gente Rex Augustus eligeretur. Fatetur enim veritate compulsus *Varillas. p. 258. eum primarium hujus electionis auctorem fuisse.*

XIX. Lepidam vero fabulam confecit Varillasius *Lib. XIII. pag. 244. seqq.* ubi pro suæ gentis consuetudine principum arcana indagaturus, Fridericum nescio cujus in Imperio factionis caput fuisse, conjicit, tantamque ipsi potentiam tribuit, ut perfacile illi fuisse tradat, Imperatorem Germania, universa excludere. Fuisse illum ait potentissimi fœderis Svecici principem, potuisseque adeo 70000, armatorum, quando voluerit, facili negotio cogere. His itaque viribus innixam factionem Lutheri crevisse, timente Carolo, ne, si illam ferocius

cius aggrediretur, tempestatem istam in se concitaret. Ni hil  
equidem asperius dixerim, si tot ferme mendacia, quot ver-  
ba, ista periodo contineri, dixerim. Svevici fœderis caput Fri-  
dericus nunquam fuit, quam dignitatem eo tempore obtine-  
bat Gvilelmus Bojorum Dux: nec potuisset, si vel maxime,  
eam obtinuisset, tantam militum vim cogere, cum vix 12000.  
ex formula fœderis, ab Hortledero *Lib. III. c. IV. X.* exposita, con-  
scribi potuerint: nec licuisset Friderico, uti contra Imperato-  
rem his copiis, qui ad finem usque fœderis, annum nempe 1534.  
societati isti adscriptus fuit. Vid. *Seckendorf. Lib. I. pag. 50.*  
*Struchii Diss. de Fœdere Svevico.* Varillasius noster oblitus vete-  
risdicti, Georgium Saxonem, Friderico magnopere infensum  
fœderis Svevici caput fuisse, dicit, *Tom. II. p. 42. seqq.* Adeo nu-  
gatores oportet esse memores!

XX. Ut nihil denique intentatum prætermittant, Fri-  
dericum à ministris ad ista consilia & sacrorum mutationem,  
seductum criminantur. Rem in compendium misit Pallavi-  
cinus, qui *Lib. I. c. XIII. §. 6. Fridericum ad Lutherum defendendum*  
*adductum consulorum svasionibus,* affirmat. Maimburgius Jo.  
Staupitio Augustinianorum præfectorum tribuit, *Lib. I. Sc. 7.*  
quem multum a Friderico aestimatum atque in consilium adhibi-  
tum, pro injuria reputasse, ait, quod Dominicani in indulgentiis præ-  
dicandis præferrentur ordini suo, ideo querelas suas ad principem  
detulisse, & omnibus viribus resistere Dominicani, decrevisse. *Se-*  
*ctione XX.* Staupitio addit Spalatinum: Lutherus, inquit, babe-  
bat in aula duos magni valoris patronos, Staupitium & Georg. Spa-  
latinum Secretarium, qui ei efficaciter in hac occasione adstebant.  
*Hi duo valde industrii animum Principis ita tractabant, &c.* Ut  
Triumviros faciat Varillasius, addit Pfeffingerum *Lib. III. p. 252.*  
*seqq.* Verum hæc non magis cohærent, quam ex arena con-  
fecti funes. Fridericus enim eo ingenio erat, quod ministro-  
rum dominatus omnino esset impatiens: solebat enim studio  
illis contradicere, etiam recta monentibus, ut ex veteri monu-  
mento observavit Seckendorffius *Lib. I. p. 57.* qui Staupitium  
præclare excusavit *p. 15. seqq.* & eo tempore Saxonia abfuisse  
docuit,

docuit: Spalatinus vero ea auctoritate apud Fridericum non erat, quam Maimburgius illi adscribit, inepteque a Varillasio c. 254. Consiliarius Electoris vocatur: Degenhardus Pfeffingerus, quo princeps familiariter utebatur, Luthero addictus nusquam legitur, conqveritur enim de eo Lutherus *Lib. I. Epist. XIII.*

XXI. Non obscure etiam indicant Maimburgius & Varillafius, Fridericum, ut bonorum Ecclesiasticorum, potissimum vero Præfulatus Misnensis, Martisburgensis & Citicensis potiretur, ad sacra mutanda propenso animo fuisse. Quam mordacem calumniam facile sit refutare. Petita enim est a Cochlæo, homine purioribus sacris admodum inimico. Fridericus sane, quoad vixit, nullos ad se sacrarum possessionum redditus reduxit: istas vero diœceses, maximam partem in Georgii, qui Septemviro adversus erat, regionibus sitas, sibi conciliare omnino nec potuit, nec voluit. Hortabatur insuper, Lutherus, & crebro hortabatur Principem, ne sacros redditus ad profanas rationes reduceret, ut ex *Præf. ejus ad statutum Leisnic.* apparet.

XXII. Rationes adversæ partis strictim excussimus, calumniaque tam gravi Fridericum idoneis argumentis liberavimus, quibus & sequentia adjici posse existimamus. Primum Friderico vivente nihil propemodum per universam Saxoniam in sacris mutatum est: Equidem Vitebergæ anno demum 1524. Missa Romana d. 24. Decembris publice abolita est, quo etiam anno Lutherus Monasticas vestes deposuit, quinto ante obitum Septemviri mense, Principe, quod legisse me recorder, nec mandante, nec prohibente. Post ejus vero obitum Lutherus ordinationem, quam vocant, ministrorum Ecclesiæ cœpit, anno 1525. ipsaque regio Saxonica A. 1527. publice ad purioris doctrinæ cultum adducta est. Fridericus sane omnem dedit operam, ut si, sine melioris causæ detrimento fieri posset, Lutherum Romanis conciliaret & controversiam omnem sopiret: *Urgebat enim Lutherum, ut coram Cajetano Pontificis nuntio se sisteret, fatente Maimburgio Lib. I. Sect. 17.* Constituerat

ex Academia & regionibus suis eum dimittere, & rem omnem soli Pontificis sententiæ, cui cœcum obsequium præstandum putabat, subjicere, ut ex ejus ad Teutlebium literis Anno 1520. scriptis, apud Lutherum *Tom. I. Alenb. pag. 352.* intelligere in proclivi est; sed obstitit vis veritatis & divina in animos Principum potestas, qua ad obsequium eos facile flectit. Luthero aliisque Anno 1523. abrogationem rituum & superstitionum Romanarum postulantes negando respondit, qui *Lib. I. Epist. pag. 65.* de illo scribit: *Novi hominis ingenium, qui ferre potest, ut ab aliis fiant, quæcunque fiunt, sed mandare aut consu- lere nolit.* Quæ si quis animo recte perceperit, stipes, aut profligati pudoris homo sit, oportet, si Fridericum sacrorum mutatorum auctorem fuisse, judicet, aut ex profanis rationibus istud fecisse, opinetur.

XXIII. Odoricum Raynaldum audacissimum hominem, qui pleno ore Principi optimo convitia dicit, vix dignum puto, qui rationibus refutetur. Compositi hominis vox non est, quam ille *Annal. a. 1519. n. 23.* profert, *Fridericum, quia vitam epicuream & suillam ducere consuevisset, delicias illas dignitati Imperii prætulisset.* Ita, quicquid optimo consilio factum est, in pejorem partem rapiunt Alastores illi, & sua mentiendi libidine principum existimationi detrahunt. Sfortia Pallavicinus eodem erga Fridericum animo est, quando *Hist. Conc. Trid. Lib. I. pag. 26. a.* affirmat, illum omnino illiteratum fuisse: Veracior longe ejus ætatis scriptor, *Jo. Aventinus*, in Epistola ad Fridericum Anno 1518. edita eum *literarum parentem Musarumque patronum optimum* vocat, ejusque studium, in colligendis rarioribus libris, instruenda Bibliotheca, & veterum heroum gestis familiarumque originibus indagandis prædicat. Varillasius Friderico inconcinnum & prægrandem corporis habitum tribuit *p. 230. sa taille étoit grande malaisée, nullement proportionnée:* Id deprehendo male habuisse *Illust. Seckendorffium Lib. I. Luth. pag. 27.* qui omnino abdomen illum habuisse, negat, & *Jo. Fridericum Septemvirum* abdomine præditum cum Friderico a Varillasio confundi, judicat; Verum,

Verum, etsi a gre dissentiam a tanto viro, cedendum tamen  
est veritati, quæ in contrarias me partes vocat : Id enim ex  
patrum monumentis cognosco, Fridericum statu corporis am-  
pliori & pinguiori præditum fuisse; Lutherus sane *Libro contra*  
*Henr. Brunsvic. Tom. VII. Alt. pag. 444.* libenter istud fatetur,  
quem librum sequens Seckendorfius, Lutherum abdomen-  
Friderici, dicterio vulgari a farcimine sumto, non sugillasse,  
*Lib. III. pag. 377.* tradit. Constat præterea, vocem Gallicam  
*taille* non tam de abdomine, quam de universo corporis habi-  
tu esse intelligendam. Dignus tamen reprehensione Varil-  
lasius est, qui deformem & extra proportionis terminos con-  
stitutam staturam illi tribuit. Rectius enim illi Christoph.  
Scheurlinus in Panegyri. Bononiæ Friderico dicto, quem in Bi-  
blioth. Acad. Jenensi oculis usurpavi, *formam plane egregiam at-  
que magnificam* adscribit.

XXIV. Atque ita concidunt excitatæ magno molimine  
adversariorum moles, prostrata potiori ac principe eorum  
calumnia, qui nova Gallorum methodo nos oppugnant, & po-  
liticis argumentis sacra aggrediuntur: Aeqve facile fuerit,  
reliqua eodem gladio conficere, omnesque, & Principes, &  
Theologos sacrorum mutatione claros calumnia hac liberare.  
Equidem eo impudentiæ progressi sunt adversarii, ut omnem  
sacrorum mutationem, ( quam *Reformationem* vocant ) superi-  
ori seculo ex causis solum profanis & rationibus privati com-  
modi factam, criminentur. H. Spondanus, a quo sua ma-  
nifesto plagio Galli scriptores surripiunt, Theologos inclare-  
scendi studio, Lutherum odio erga Dominicanos, Principes  
studio acqvirendi Ecclesiæ bona sacris mutandis operam lo-  
casse, *Tom. II. Annal. Eccl. An. 1517.* contendit. Plerasque ha-  
rum rationum usurpat Pallavicinus *Lib. I. cap. IV. p. 6.* Maim-  
burgius *Libro I. Hist. Luther.* idem ostendere conatur: Varil-  
lasius *integro Revolut. opere* totus in eo est: recipit enim in  
*Proœmio*, se probaturum, *religionis mutata auctores & protectores*  
*non nisi ex causis mere humanis & usurpandi aliena studio egisse.*  
*Auctor Gallia Cathol. Tom. I. Dial. 3. Tom. II. Dial. 1.* in eodem

luto versatur, præcipue vero cupidini sacrorum bonorum rem illam adscribit. Quibus Ant. Arnaldum addimus *Præjudic. Defens. cap. 12.* suo more, hoc est, acriter ex hoc capite contra nos disputantem.

XXV. Quam parum sibi constet hæc calumnia, agnoscunt ex adversariis nostris, & ab ista culpa propemodum nos absolvunt *Alphonsus a Castro, Laurentius Surius, Episcopus Tornacensis*, aliique, quos magno studio collegit decus Germaniæ eruditæ, & puriorum sacrorum nostra ætate vindex, *Job. Frid. MAYERUS* in *Animadversionibus selectissimis ad Vitam Lutberi a Selneccero scriptam, p. 40. 43.* Unico argumento ad convincendos adversarios impræsens utar. Constat ex Historia mutatorum Sacrorum, omnium mutationum eo tempore initium ab hominibus ex vulgo & monachis plerumque factum: Sic initium *Reformationis*, quam vocant, Zviccaviensis An. 1521. factum per *Fr. Myconium*, eodem anno Frisiæ orientalis per *Georg. Apertanum*, Halberstadiensis per *Valent. Musteum*, Vallis Joachimicæ per *Philipp. Eberhardum*, Argentorati per *Matth. Cellium*, Antverpiæ per *Jac. Præpositum*, Erfurti per *Langum*, An. 1522. Altenburgi per *Gabr. Didymum*, Noribergæ per *Andr. Osiandrum*, Augustæ Vindelicorum per *Job. Froschium*, Francofurti ad Mœnum per *Hartmannum Ibachium*, Ulmæ per *Conr. Semium*, Halæ Svecicæ per *Jo. Brentium*, Bremæ per *Henr. Zutphan.* Magdeburgi per *Melchiorum Myricium*, Sedinii per *Nicol. Curiensem*, Stralsundæ per *Christ. Ketelbut*, Stolpæ per *Petr. Spavenium*, Rigæ, Revaliæ, & Dorpati per *Andr. Cnophium*, Hamburgi per *Steph. Kempium*, & *Jo. Aepinum*, Curix per *Casp. Læbnerum.* An. 1523. Holsatiæ & Dithmarsix per *Henr. Zutphanensem*, Daniæ & Sveciæ a monachis quibusdam, Prussix per *P. Spenatum*, Isenaci per *Casp. Aquilam.* An. 1524. Regionum Lunenburg. & Cellensium per *Mart. Oudermarck*, Rostochii per *Jo. Slucerum*, Vismariæ per *Henr. Mollensem*, Hojensis regionis per *Adrianum monachum Antvorpensem.* A. 1525. Lusatiæ per *Franc. Menobartum.* An. 1526. Hassiæ per *Franc. Lambertum.* An. 1528. Goslariæ per *Nic. Amsdorf.* An. 1530.



1530. Lub eæ per *Andr. Guilelm. & Jo. Valbosum*. Quorum plerique monachi, non odio Pontificis, aut bonorum acquirendorum gratia rem istam susceperunt. Quæ autem publica Principum auctoritate factæ sunt sacrorum mutationes, ut anno 1533. regionum *Svarzburgicarum & Rathenicarum*, anno 1534. regionis *VVurtembergica & Calenbergica*, anno 1539. *Misnia & Marchia*, anno 1555. *Oetingensis*, anno 1556. *Palatinatus & regionis Badensis*, ita prudentissimo consilio institutæ sunt, ut omnis profani commodi suspicio solerter evitata sit.

XXVI. Magna istorum hominum & intolerabilis impudentia est, qui in re clara & evidenti cavillari non desunt, nec ullum ex Protestantibus superioris seculi principibus prætermittunt, cui non injuriam faciant, profana illi in sacrorum immutatione consilia adscribendo. FRIDER. I. DANIAE Regem *subjectis mutandi religionem potestatem fecisse, ut regnum sibi firmaret*, argutatur Maimburgius *Lib. I. Sect. 57.* Varillafius vero eum omnino obtentu sacrorum ad occupandum Daniae regnum usum esse, fabulatur. GUSTAVUM, SVECIAE Regem seductum a ministro mutasse sacra, ut bonis præsulum potiretur, quibus contractum æs alienum solveret, Maimburgius *loc. cit.* calumniatur: Varillafius vero profanis fraudibus mutationem factam *Hist. Revol. Lib. XXX.* multis mendaciorum plaustris evincere conatur. JOHANNEM SAX. Septemvirum ipso propemodum mortis articulo mutasse sententiam & ad Romana sacra se recepisse, nugantur, quam calumniam toties a *Jo. Nassio, Andr. Fabricio, Scioppio, Kellero, Keddio, Klibnizio*, aliisque recoctam, toties confecere, *Zaemannus, Calovius, Musæus, Albertus*, quatuorviri laude nostra majores. JOACHIMUM II. Septemvirum Brandenburgicum pessime excipit Maimburgius, quem, spe pecuniæ a subjectis numerandæ, sacra mutari passum, *Lib. III. Sect. XIX.* tradit: Raynaldus vero *Ann. 1538. n. 38.* ut voluptatibus suis obseqveretur, a Romanis eum secessisse, criminatur.

XXVII

QX 76 1693

XXVII. Quæ in ALBERTUM Brandenburgicum a  
Varillasio dicta sunt *μαισωνικά πωύματα*, ea Seckendorfius  
dignis modis excepit. PHILIPPUM vero, magnum il-  
lum Hassiæ Principem perquam contumeliose nostri homines  
tractant: nam, ut omissis aliis, *Bossuetum*, qui modestior ha-  
beri vult, aggrediar, quam confidenter ille de hoc Principe  
pronunciat, eum contra conscientiaë stimulos Lutheri opini-  
ones profani commodi causa amplexum esse. *Hist. Variat.*  
*Lib. III. §. 44.* libidini addictissimum, & adulteriis inquina-  
tum fuisse, *Lib. VI. pag. 228.* sacris vero, ut cothurno, usum,  
*Lib. III. §. 45. Lib. VI. pag. 230.* affirmat. Quibus convitiis alio  
loco responderi potest, ut & iis, quæ in illustres Lutheri ex li-  
berorum S. R. I. Equitum ordine defensores, *Ulr. Huttenum,*  
*Franc. Stickingium,* & *Sylvestrum Schaumburgium Maimburgium*  
*Lib. I. Sect. 35.* Varillasius *Lib. IV. pag. 293, 298.* protulere,  
quos omnes profani commodi gratia sacrorum rationem im-  
mutasse, impudenti equidem calumnia, affirmant. Nimis  
prolixum foret, omnes istas Gallorum cavillationes stylo ex-  
sequi: nos quidem, ut Heroum istorum memoriam, qui ve-  
ritati renascenti patrocinium præstitere, magnopere coli-  
mus ac veneramur, ita laudatissimis eorum posteris, cum pri-  
mis Potentissimo Academiae nostræ Nutritio, Augu-  
sto Friderici Sapientis Successori, perpetuam  
felicitem apprecamur.

S. D. G.



cum a  
lorfius  
um n  
omines  
ior ha  
rincipe  
opini-  
*Variat.*  
qvina-  
sum,  
is alio  
ex li-  
num,  
urgius  
alere,  
m im-  
Nimis  
lo ex-  
vi ve-  
e coli-  
mpri-

ULB Halle 3  
004 779 983  






XXI

Q. XVII,

I, 200

V c  
1693

FRID

SAL

SA

M

M

Pallavicini,  
rumqv

i, alio-  
t,

SACRA  
R

NIS

M. VALE

IERUS

Or

JEREM

RUS,

Ad D. X

VII.

Literis CHR

yp.

RK. 17.

